



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CLXXXII. Vtrum Angeli natura sua, an gratia Dei incorruptibiles
sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

alio sicut à causa. Per hoc ergo quod dicitur, quod omnia deciderent in nihilum, nisi continerentur à Deo, & etiam Angelis non datur intelligi quod in angelis sit aliquod corruptionis principium, sed quod esse angeli dependeat à Deo sicut à causa. Non autem dicitur aliquid esse corruptibile, per hoc quod Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam conservationem, sed per hoc quod in seipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materię.

CONCLUSIO est, Angeli suapte natura incorruptibiles sunt. Circa quam futura nobis est disputatio.

DISPUT. CLXXXII.

Verum Angeli natura sua, an gratia Dei incorruptibiles sint?

Quid senserint S. Thomas, Caietanus, & nonnulli Thomistae, cap. 1.

Probabilior sententia, c. 2.

Corollaria precedentis doctrinae, c. 3.

Posterior pars probabilior sententiae confirmatur, c. 4.

Diluantur argumenta prioris sententiae, cap. 5.

CAPVT I.

Quid senserint S. Thomas, Caietanus, & nonnulli Thomistae.

SANCTUS THOMAS in hoc art. 5. & supra qu. 9. art. 2. & ibi Caiet. & 2. lib. contra gentes cap. 30. & cap. 55. & ibi Errat. Petrus Bergomus in concordantiis locorum dub. 122. & Durand. in 1. d. 8. p. 1. quast. 3. affirmant Angelos suapte natura incorruptibiles esse & immortales: mortales autem & corruptibiles appellari iquit S. Thomas in illo art. 2. non ob aliquam potentiam passivam, quae in ipsis sit, sed solum ex activa potentia Dei, quae sicut producti sunt, annihilari eodem modo possunt: cum tamen cetera composita ex materia, & forma, quae corruptibilia sunt, ex potentia non solum Dei, sed etiam ex intrinseca potentia materiae, quae constant corruptibilia dicantur. Ut hanc doctrinam S. Thomae amplius explicet Caietanus, in eo articulo secundo notat duplicem esse potentiam, alteram realem, alteram logicam: realis est illa, quae rebus ipsis inest, ut sint hoc, aut illud: & haec est cum aliquo appetitu, & inclinatione: verum quia omnis appetitus, & inclinatio primo & per se non est ad esse, sed ad aliquod esse, ex quo sequitur non esse, ideo nulla potentia realis proxime est ad non esse: haec autem est, quae reperitur in materia rerum corruptibilium. Logica vero potentia est, quae vocari solet non repugnantia: & quoties non repugnat aliquid esse, potentiam Logicam in eo dicimus esse, ut sit, vel non sit. Prior potentia non est in Angelis, & rebus spiritualibus, quia non est aliquid in eis, quod possit recipere formam contrariam, cuius introductione desinant esse. Posterior vero potentia convenit Angelis, ut non sint, non quia illa sit potentia aliqua realis in ipsis, sed solum per respectum ad causam

Vasquez. in 1. parte Tom. 2.

efficientem, à qua possunt corrumpi: idcirco recte dicitur Angelus natura sua incorruptibilis, quia in se nullam habet realem potentiam, ut corrumpatur, vel desinat: contra vero corpora haec inferiora natura sua dicuntur corruptibilia, quia potentiam realem & physicam in se habent, ut non sint. Eadem de causa Angeli dicuntur entia necessaria, necessitate physica & reali, quia caent potentia reali, ut non sint: sed non sunt entia necessaria necessitate logica, quia non repugnat, non esse. Id quod significare videtur Doctor sanctus in hoc articulo quinto ad tertium, dum appellat Angelum in ens necessarium, ita tamen, ut suae necessitatis causam habeat, scilicet Deum, à quo annihilari & destrui potest.

Itaque Angelos esse immortales, & incorruptibiles natura sua probatur primo ex Concilio Lateranensi, sub Leone 10. sess. 8. nam in bulla Leonis, quae ibi ponitur in principio illius definitur, animam rationalem esse immortalem: cum ergo Angeli non sint inferioris conditionis, eodem modo immortales erunt, Quod si anima, & Angelus natura sua essent mortales, & corruptibiles, licet voluntate & gratia Dei in perpetuum durarent, nihilominus mortales & corruptibiles simpliciter dicendi essent. Secundo Dionys. 4. cap. de divinis nominibus non longe à principio ait animas nostras similes esse Angelicis virtutibus: ostendens autem, in quo similes sint, inquit, Quod mentis sunt compositae, quod vitam per se, essentiamque suam habeant, eumque ab interitu liberam: quibus verbis indicasse quoque videtur rationem sancti Thomae in hoc articulo, qui ideo asserit, Angelos esse incorruptibiles, quia sunt formae per se subsistentes: alias vero res compositae ex materia & forma ideo esse corruptibiles, quia separari possunt in eis forma à materia: quae ratio inferius examinanda erit. Tertio Basilus in Psalmo 44. in principio, docet Angelos non senescere, & naturae eorum substantiam immutabilem esse. Quarto Iulianus Archiepiscopus Toletanus libro primo de futuro saeculo capitulo secundo, qui habetur 3. tom. Biblioth. laetiae, asserit, Angelos ita conditos esse, ut etiam si peccarent, mori non possent; homines vero propter peccatum, mortis poenam incurrisse. Quinto Athanasius in lib. definitionum, parum à principio, docet, Angelum, & animam rationalem immortales esse. Denique Damascenus in lib. Institutionum capit. 7. dicit, immortale, esse differentiam Angelicae naturae, & cuiuscunque alterius incorporeae substantiae.

Ratione vero probatur: nam aliquod obstat, quo minus Angeli dicerentur sua natura incorruptibiles, illud esset, quod natura sua pendat à Deo ut à prima causa, à qua conservantur: sed hoc ob esse non potest: nam ignis natura sua dicitur potens calefacere, etiam si necessario pendat eius potentia ab influxu Dei cooperantis, ut calefaciat: ergo Angeli, dici potest sua natura incorruptibilis, etiam si ab influxu Dei conservantur eius esse pendat.

CAPVT II.

Probabilior sententia.

CUM corruptibile & mortale, sicut etiam incorruptibile, & immortale relapse dicantur

ad aliquam potentiam agentem, necesse est distinctionem quandam præmittere: aut enim loquimur respectu potentie Dei, aut loquimur respectu potentie creatæ: & iuxta hanc divisionem hæc nostra sententia in duas partes est dividenda. Prior est, si loquamur respectu potentie Dei, & nomina hæc *Mortale* & *Corruptibile* sumuntur pro eo, quod desinere potest, scilicet per destructionem, & annihilationem; & immortale & incorruptibile significat negationem oppositam; nullâ ceratuta sua natura est immortalis & incorruptibilis: imo vero natura sua ex potentia reali in ipsa existente est corruptibilis, & mortalis; quod perinde est, ac si dicamus, natura sua subest potentie Dei, ut annihilari ab ea possit. Posterior pars, Angelus & anima rationalis respectu creatæ potentie incorruptibilis est, & immortalis, quocumque modo incorruptibile, & immortale accipiamur.

Priorem partem confirmare possumus auctoritate, & ratione. Auctoritate quidē primo Scholasticorum, qui eam diserte verbis docuerunt, Alexander, 1. p. q. 4. membr. 3. Bonavent. in 1. d. 8. 1. p. diff. art. 2. q. 2. Ricard. a. 2. q. 2. Scoti qu. 5. §. Ad questionem & in 4. d. 4. q. 6. §. Hic sunt duo, Ocam in 2. q. 7. Gabr. in 2. distinct. 2. questione prima, articulo secundo conclus. 6. qui omnes pronuntiant, omnem creaturam ex se mutabilem esse non tantum secundum accidentia, sed etiam secundum substantiam, desinendo: idque suapte natura creaturæ convenire; quod vero convenit alicui natura sua, ab intrinseco convenit. Distingunt autem Bonaventura & Ricardus triplicem immutabilitatem: primam vocant invariabilitatem, & hanc inquirunt nulli convenire per naturam, nisi Deo, neque per gratiam: Sumunt autem immutabilitatem hoc modo, pro negatione non potentie mutationis, sed pro negatione actus, & dicunt, hanc de facto nulli convenire creaturæ: siquidem etiam Angeli beati secundum varias cogitationes, mutantur. Secundam immutabilitatem, vocant incorruptibilitatem, & hanc dicunt esse in aliquibus reb. per naturā, ut in angelis & in anima rationali, in aliis vero per gratiam, ut in corpore humano glorioso: accipiunt autem incorruptibile, prout significat negationem corruptionis à secunda causa per separationem materiæ & formæ. Tertiā immutabilitatem appellant invariabilitatem, prout significat impotentiam ad negationem ipsius esse per annihilationem & destructionem, aut desinonem simpliciter, de qua nunc est controversia: & hanc dicunt nulli creaturæ convenire per naturam; sed per gratiam tantum, ut infra explicabitur.

Secundo loco sunt permulta Patrum testimonia, quæ hoc videntur confirmare. Iustinus in lib. qui. quas gentes Christianis ponunt, De eo, quod corpore vacat q. 13. ita inquit, Quorum immortalitas ex alio voluntate pendet, ea immortalia esse non possunt: itaque solum Deum immortalitatem habere dicimus. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum idem docet: id quod & ipse Iulianus ex sententia Platonis fatebatur, ut paulo ante refert Cyril. & lib. 8. Theauri cap. 2. in medio ait, Angelum, & cetera esse immortalia, sed per Dei gratiam, non per naturam. Consentiant Damasc. 2. de fide cap. 3. Elias Cretensis in 1. orat. Nazian. in illa verba: Factoris, regis, capitis, &c. & Sophronius in sua Epist. post. med. quæ recitat, fuit in 6. Synodo actione 11.

& approbata actione 13. qui de spiritualibus rebus ita loquitur, Nullatenus quidem moriantur, nec corrumpuntur, iuxta quod scriptura desinit, atque transeunt: non tamen sunt immortales per naturam, neque in essentiam incorruptibilem transeunt, sed gratia eis largitus est a corruptione ea, & a morte carcerem: si hominum anima permanent incorrupta, & angelus immortales perseverant, non naturam revera (sicut asserunt) propriam immortalitatem habentes essentiam, sed gratiam a Deo sortiti sunt, quæ immortalitatem largitur, & incorruptionem eis providet. Refertur etiam Ispidorus lib. 2. de summo bono cap. 12. ibi tamen de mutabilitate peccatorum docet, Angelum naturam suam mutabilem esse, & caritate corruptum manere.

Caletanus & alij, qui priorem sequuntur sententiam, similia Patrum testimonia explicant de potentia, quam ipsi Logice appellant, non de naturali, & reali: plane tamen concedunt, Angelum non esse suapte natura immortalem, sed sola gratia Dei, si immortale, & incorruptibile referatur ad potentiam Dei consentientis, & potentis destrucere: hoc enim existimo esse dogma fidei, nec vili ratione negari posse. Quocirca ceteros nonnulli, qui erroris notam incurrunt Theologis asserentibus, Angelos naturam suam esse immortales, nulla facta distinctione, adesse debuerant, nullum hactenus Catholicum fuisse, qui id assereret, sed omnes loquutos fuisse de immortalitate & incorruptione, facta computatione cum potentia Dei: atqui asserere, respectu illius aliquid creatum esse immortale, in se replicato, erroris notam meretur. Tum quia patet allegari ut dogma fidei illud nobis traditum, tum etiam quia, ut constat ex doctrina Angelorum, super Genesim cap. 10. Gregorij Magni lib. 16. moral. cap. 15. non longe à principio, & Damasceni primo de fide cap. 1. ita nunc Dei omnia conservantur, etiam ipsa creature, ut si Deus vellet ea non conservare, in nihilum deciderent: id quod Scriptura aperte dicit, Act. 13. In ipso enim vivimus, movemur, & sumus, & Sap. 11. Quomodo autem posset aliquid permanentis, nisi tu voluisses; aut quod de te vocatum non esset, conservaretur. Solum potest esse controversia cum Caletano, & aliis Thomistis, utrum immortalitas, & corruptibilitas, quam Angelis concedimus respectu Dei, sit solum ex potentia actus Dei, ex qua provenire dicatur potentia illa Logica ad corruptionem & annihilationem; an ex natura sua hoc intrinsece habeant per realem aliquam & naturam potentiam, in quo solum nobis cum Thomistis allegatis controversia erit: nam de reliquo nullus est, qui advenietur.

Hanc igitur naturam potentiam ex parte Angelij, & nature ipsius ex testimoniis Patrum non obicere colligo. Cum enim dicant, nullam esse naturam, sed gratiam immortalem: manifeste sequitur omnes naturam suam mortales, & corruptibiles esse respectu potentie Dei. Etenim, si gratia immortalitatem consequuntur, natura sua corruptibiles sunt: gratia enim tollit, quod natura ipsa conveniret.

Sed dicet aliquis, nec natura sua esse immortales, neque mortales, sed immortales esse gratia Dei: verum hoc responsum facile refellitur, quia mortale, & immortale tunc medio opponitur, eodem modo, quo mortale, & non mortale, vel ergo Angelorum natura ex se mortalis est, vel immortalis, hoc est vel ex se realem potentiam habet, vel de-

Alex.
Bonavent.
Ricard.
Scoti.
Ocam.
Gubriel.

Iustin.

Cyrillus.

7.

finat, vel illam non habet: si non habet, ergo ex se non mortalis est, ac proinde immortalis: si autem habet, erit mortalis.

Ceterum ratione probemus nostram sententiam, eamque ex doctrina sancti Thomae deducamus. Ille namque supra quæst. 25. art. 3. docet, res omnes possibiles suapte natura esse obiecta diuinæ omnipotentiae, non ex eo, quo sint possibiles fieri ab omnipotentia, sic enim fieret inutilis circulus, ut satis deduximus disp. 104. c. 4. sed priusquam potentia diuina ipsas respiciat, & ab ea possibiles denominentur, in se dicuntur talis naturæ esse, ut à Deo produci possint, & obiectum sint diuinæ omnipotentiae, ex eo quod in se ipsis non implicant contradictionem, ut sint: ita tamen, ut si non fiant, neque producantur, nulla vi proprie ipsis inferatur: quod enim nondum est, non potest conari, ut sit, ac proinde nec vim ullam pati, si non producantur: quamvis ergo non sit potentia physica, tamen in subiecto ad recipiendam formam, sed solum potentia (quam possumus logicam vocare) hoc est, non repugnantia, ut existimat: non tamen debet dici potentia illa omnino extrinseca rebus, à sola potentia producente proveniens, sed vere realis & naturalis, ex qua oritur, ut potentia faciens subdatur.

Eodem modo de corruptibilitate, hoc est, de potentia rerum ut non sint, & destruantur, philosophandum est, nempe quamcumque rem ex se ipsa secundum rem potentiam habere, ut non sit, non quidem quam vocant physicam in aliquo subiecto ad recipiendam formam contrariam: nec solum ex virtute agentis, ut comminiscitur Caiet. sed realem & naturam, etiam si eam logicam non inepte vocemus, quia solum est non repugnantia. Eodem namque modo omnipotentia Dei versatur circa non ens, ut in ea dispensatione explicauimus capite quinto, sicut circa ens: hoc est, ita facit rem non esse, sicut producit & facit esse: cum ergo Angeli, & animæ rationales sint obiecta diuinæ omnipotentiae ut non sint, sit, ut etiam ex se ipsis, antequam omnipotentia ad ipsas referatur, possint non esse, ac proinde, in illis sit natura illa non repugnantia, ut non sint, quod sane intrinsece, um & essentialiter videtur omni creaturæ non minus, quam non repugnantia ut sint & producantur. Quod vero S. Doctor dixit solum esse corruptibiles à potentia creatoris & agentis, non ex se ipsis, solum asseruit, ut negaret potentiam passiuam in illis respectu agentis creati: hæc enim, ut capite quarto dicemus, in spiritibus creaturis non est: ob id tamen non negat innatam & realem non repugnantiam in creaturis omnibus, ut non sint: cum enim concedat, ex potentia agente Dei esse corruptibiles, non potuit non in ipso obiecto potentia concedere aptitudinem & non repugnantiam innatam & realem, qua natura sua tali potentia subderentur, iuxta id, quod ipse tradiderat quæstione illa 25. artic. 3.

CAPVT III.

Corollaria præcedentis doctrine.

EX prior parte nostræ sententiæ, quam capite superiori eo firmamus, quædam sequuntur notatione digna, quæ præcedentem quoque doctrinam magis illustrabunt. Primum est, res

omnes creatas beneficio & gratia Dei non corrumpi, hoc est, non annihilari; cum enim id non habeant necessario natura sua, quotiescunque illud habent, beneficio eius, à quo conseruantur, habent. Hoc beneficium ipsis minime debitum aut ex iustitia, aut ex gratitudine, appellarent Patres capite præcedenti commemorati gratiam, cum dicunt, nullam creaturam humanam esse immortalem, sed gratia Dei. Loquuntur enim respectu potentie creatoris, nomine gratiæ, non intelligentes gratiam per Christum, sed donum creationis, quam cum Pelagius confessus esset in Concilio Diospolitano, ut diputatione 91. cap. 9. retulimus, Patres Africani in Epistola 95. apud Augustinum concesserunt non inepta ratione gratiam posse appellari, sed eam non satis esse ad recte pieque viuendum, & ad superandas tentationes, neque eam in sacris literis gratiam appellari. Ceterum quamuis gratia Dei Angeli habeant immortalitatem, sicut & corpora Beatorum, alio tamen modo hanc gratiam habent, quam corpora, quæ incorruptibilitatis, & impassibilitatis dotem consequuntur: hæc enim incorruptibilitatem eo habent, quod eis qualitas quædam communicata est contra omnem actionem contrariam, à quibus aliqui corrumperebantur; Angeli vero eo solum, quo à Deo, à quo solo pendent, libere conseruantur, cum ab eo corrumpi possint: utrumque autem Dei beneficium, & gratia est. Secundo nota, gratiam incorruptibilitatis, quam dicimus Angelis fuisse communicatam, non esse negationem potentie passiuæ, sed negationem actus tantum, hoc est, gratiam illis esse, non destrui, & non annihilari, ac non posse destrui, illis nulla gratia est, nec ullo modo communicari potest: nam, vel sermo est de incorruptibilitatis potentia respectu agentis creati: & hanc ipsi ita habent natura sua, ut illis omnino repugnet, ab agente creato corrumpi: vel loquimur de potentia incorruptibilitatis respectu Dei: & hæc nullo modo communicari ipsis potest. Restat igitur, ut gratia, quæ ipsis Angelis facta est, nihil aliud sit, quam non corrumpi à Deo, & ab eo perpetuo conseruari.

Tertio obseruandum est, si Angelus annihilaretur, destructionem seu annihilationem illius quodammodo fore supernaturalem, quo ammodo non. Nam respectu causarum naturaliter agentium, & respectu communis concursus, & ordinis rerum, supernaturalis diceretur: quia super vires causarum creaturarum, & supra ordinem, quem Deus seruatur, annihilaretur: ac nec respectu Dei agentis nec respectu ipsius Angeli super naturam esset, respectu Dei, satis constat, respectu vero ipsius Angeli patet, quia non esse Angeli non est supra naturam ipsius, sicut est gratia, imo potius contra illam videtur esse, ut infra explicabitur: quamuis autem sit supra naturam prioris illi modo, adhuc non est supra naturam eodem modo, quo restitutio oculi, hæc enim ita fit à Deo, ut cum aliqui oculus natus sit produci, ut causa propria, ab aliqua causa creata, ad restitutionem ea non sufficiat, sed à solo Deo fieri postulet, ac vero annihilatio fieret à Deo, ut à propria causa, & ita magis naturalis esset, quam oculi restitutio nihilominus alia ratione, quam supra diximus, diceretur supra naturam.

Quarto notandum, annihilationem quodammodo

Nn 4

modo

modo esse contra naturam, & quodam modo non esse: nam si consideretur natura rei ut existens, ei opponitur annihilatio, sicut non esse, quemadmodum negatio opponitur affirmationi. Si vero spectetur natura ipsa secundum essentialia solum prædicata, & secundum esse possibile, annihilatio non est ipsi contraria: sic enim indifferens est, ut sit, & non sit: hoc est, inter essentialia illius prædicata non magis connumeratur esse, quam non esse illius. Sed dices, secundum essentialia prædicata habet inclinationem, ut conseruetur, ergo annihilari est contra illius naturalem appetitum. Respondeo in essentialia sub esse possibili non esse realem inclinationem per modum potentie ad existentiam: essentia enim non distinguitur realiter ab existentia, & ita non habet realem inclinationem: sed essentia quando non existit, nihil aliud habet, quam posse existere, hoc est non implicare contradictionem, ut actu existat, quæ est logica potentia, licet realis, hanc autem etiam habet, ut non sit, est enim indifferens secundum essentialia prædicata, ut existat, & non existat.

CAPVT IV.

Posterior pars probabilioris sententiae confirmatur.

Altera pars nostræ sententiae erat, si corruptibile, & mortale sumantur respectu potentie creatæ corruptentis. Angeli, & animæ rationales suapte natura, ita sunt immortales, ut à Deo produci non possit aliqua creatura potens eas corrumpere. Cum enim nulla causa creata corrumpere possit aliquid annihilando illud (hoc enim est solius Dei) sed tantum inducendo in materiam vel subiectum formam contrariam; efficitur, ut Angeli, & animæ rationales à nulla causa creata corrumpi possint. Porro autem, annihilationem solius Dei esse constat, quia est corruptio totius esse, ac proinde rationi omnino opponitur: & penes hoc tantum fit, quod creatio rei definit continuari: qui solus Deus creare potest, & creationem continuare, ut disp. 176. monstratum est, ergo solus ille annihilare aliquid potest. Inductione autem formæ contrariæ non posse Angelos, aut animas corrumpi, manifestum est, quævis id diuerso modo probetur: nam Angelus ideo nequit corrumpi inductione formæ contrariæ, quia ipse non est forma, quæ alicui materiæ, ut subiecto vniri possit, ut disp. 183. dicimus: ergo non habet formam contrariam, quæ à subiecto aliquo possit expelli. Animæ vero rationales cum sint formæ materiæ, ab ea expelli possunt: sed quia suapte natura ita vniuntur materiæ, ut non pendeant ab ea secundum esse, ideo dum inducitur forma contraria, solum fit dissolutio compositi, quæ est eius corruptio: anima vero à materia separata perse manet: cum tamen aliæ formæ etiam substantiales, dissoluta compositione pereant, quia ab ipsa materia pendebant secundum esse: recte igitur diximus cum distinctione, Angelos, & animas corruptibiles esse sua natura comparatione potentie Dei, sed respectu causæ creatæ incorruptibiles & immortales. Quia distinctione vsus est Cyrillus citatus à nobis c. 2. his verbis, *Nam quod naturæ præcipue insunt, ea respectu creatoris nihil sunt. Quare sicut ignis combustus quidem est, sed non Deo sic & Angelus immortalis quidem est, sed non Deo. Et quidem ratione optima ita philosophatur: nam corruptibile, & in cor-*

Cyrillus.

ruptibile relate dicuntur, & quamvis ignis dici posset absolute sine vlla distinctione combustus, quia satis est ad hoc, ut ita dicatur, combustus esse respectu alicuius: tamen ut dicatur Angelus immortalis vel incorruptibilis, videtur necessaria illa distinctio, si hæc nomina sumantur pro potentia ad non esse quomodocunque agitis. Contra vero absolute dici possent mortales, quia satis erat respectu alicuius agentis, tales esse, ut affirmatiue tales dicerentur, nisi nomen hoc in alia significatione communiter vsurparetur, ut subinde dicemus. Si tamen esset nomen significans solum potentiam passiuam ad non esse absolute de illis enuntiaretur.

Quare pro maiori explicatione eorum, quæ diximus, obseruandum est, nomina hæc, *mortalis, & immortalis, corruptibilis & incorruptibilis* communiter vsurpari relate solum ad causas creatas. Cum enim non significant deitatem rei per annihilationem, nec deitatem communiter vsurparetur, ut per naturalem separationem formæ à materia, vel negationem illius, ideo communiter dicuntur relate ad potentiam agentem creatam, quæ separare potest materiam à forma, & ita mortem inferre, aut corrumpere: atque ideo non liceret, videntes his nominibus, asserere, Angelos, aut animas rationales sua natura mortales esse, aut sua natura non esse immortales: quia nisi aliud explicaretur, significarem has substantias à creato aliquo agente posse corrumpi: cum additamento tamen dicere debemus, non esse incorruptibiles respectu Dei, sed respectu illius corruptibiles & mortales natura sua, non modo potentia agentis, ut etiam concedunt Caier. & alij priores sententiae, verum etiam potentia reali passiuam ipsarum, ut cap. 2. exposuimus. Si tamen esset nomen, quod significaret aptitudinem ad non esse quocunque modo, vel diceremus destructibile id, quod quocunque modo desinere potest, sine dubio Angeli, & animæ dicerentur natura sua destructibiles, quia saltem respectu alicuius tales essent & non dicerentur natura sua indestructibiles, quia nomen hoc negare poteritiam ad non esse respectu cuiuscunque agentis, quod est proprium solius Dei, & hoc modo absolute dici debent Angeli, & animæ sua natura annihilabiles, ut ita loquamur quia relate dicuntur ad potentiam Dei, qui solus annihilare potest: & hæc substantia natura sua subduntur potentie Dei, ut possint annihilari.

CAPVT V.

Diluantur argumenta prioris sententiae.

Iam vero facile est euertere fundamenta prioris sententiae. Nam Concilium Lateranense, & alij Patres allegati loquuntur de corruptione, morte, & interitu à causa secunda, & his vocibus immortalis, incorruptibile, liberum ab interitu, videntur in communi & vulgata significatione, quæ significamus negationem potentie passivæ respectu potentie actiue creatæ, ut præced. c. ostendimus: at respectu Dei nolunt negare Angelis, & animabus potentiam naturam, ut destruantur, & ita loco in illa bulla in confirmationem sue definitionis adducit illud Matthæi 10. *Ne timeatis, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt. Vbi place de morte à secunda causa inferenda, quæ proprie*

dicatur mors, Concilium loquitur. Eundemque sensum secuti sunt patres omnes allegati in 1. cap. Ideo diximus superiori cap. absolute animas, & Angelos dicendos esse immortales, & incorruptibiles, quia hæc nomina relate solum dicantur ad causam creatam.

Ad rationem vero allatam pro illa opinione respondeo, diuersam esse rationem exempli allati. Nam ignis ideo dicitur natura sua calefactiuus, etiam si egeat concursu Dei, quia habet suapte natura vim, & potentiam producendi calorem, quia ab intrinseco, quasi impetu quodam fertur ad talem effectum, ita ut si ei negaretur concursus Dei, violentum illi esset, non calefacere. At natura spiritalis, ita existit, Deo producente, & conseruante, ut ipsa non habeat vim ullam, quia cum Dei concursu se ipsam efficiat, & conseruet: sed ita tota à Deo fit, & conseruatur, ut ex se non repugnet esse, vel non esse: neque habet aliquam inclinationem naturalem per modum potentie ad existendum, cum ipsa reuera non distinguatur à sua existentia. Ex eo vero, quod non distinguatur à sua existentia, ab essentia, non sequitur, non esse corruptibiles, quia nequeat in eis separari esse ab essentia: ratio enim corruptibilitatis ex eo solum prouenit, quod hæc essentia, quæ aliquando actu existit, pendet à Deo, & nunc illius conseruatur, ut existat.

Supereft, ut explicemus locum illum 1. ad Timoth. 6. Qui (scilicet Deus) solus habet immortalitatem, ex quo etiam apparebit, quo modo alia præter Deum mortalia, & corruptibilia sint. Sunt autem quatuor expositiones illius loci ex patribus de sumptis. Prima sit Augusti lib. de natura boni cap. 29. & in Epist. 28. & Hierony. in magnis comment. in Epist. ad Titum in illa verba cap. 1. Quam promiserat, &c. qui hoc modo interpretantur locum illum, ut nemo sit immortalis, sicut Deus, eodem sensu quo dicitur Marci 10. Nemo bonus, nisi Deus. Quocirca inquit animam rationalem esse immortalem suo modo: intelligere autem videntur, ut nos, supra explicauimus, respectu cause creatæ, non respectu Dei: Deum autem absolute respectu cuiusque. Secunda expositio est de immortalitate peccati, de qua intelligit sine dubio Amb. 3. de sede ad Gratianum cap. 2. de quo genere immortalitatis dixit, nec Angelus immortalis est, cuius immortalitas in voluntate est creatoris: atque hanc interpretationem fuisse Ambrosij infra quæst. 63. artic. 1. manifestum fiet. Tertia est de immortalitate, quæ tollit omnem mutationem, siue in melius, siue in peius, ita Augustinus 1. de Trini. cap. 1. & lib. 7. de Genes. ad litteram cap. vltimo in fine, & Anselmus in illum locum Pauli. Quarta est Chrysostomi in illum locum, ut Deus dicatur habere immortalitatem super alios Reges, & Dominos, de quibus antea Paulus fecerat mentionem, sicut: ante etiam dixerat solum Deum esse potentem. Verba Pauli sunt, ut se usque mandatum sine macula irreprehensibile usque in æuentum Domini nostri Iesu Christi. Græca habent hæc verba, id est, usque ad apparitionem Domini nostri Iesu Christi, subiungit statim, quem suis temporibus ostendit solus potens Rex regum, & Dominus domini, qui solus habet immortalitatem, hoc est, quem aduentum in suis temporibus ostendit. Græce in est, & id est quam.

ARTICVLVS I.

Utrum Angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita. Dicit enim Origenes in libro Periar-
chon, Solius Dei, id est, Patris & Filij, & spiritus sancti, naturæ illud proprium est, ut sine materiali substantia, & absque vlla corporeæ adiectionis societate intelligatur existere. Bernardus etiam dicit in 6. homilia super Cantic. Demus Deo soli, si-
cut immortalitatem sic incorporeitatem, cuius natura sola, neque propter se neque propter alium solatio indiget instrumenti corporei. Liqueat autem omnem spiritum creatum corporeo indigere solatio. Augustinus etiam dicit super Genesim ad lit. Dæmones aerea dicuntur animalia, quia corporum aereorum natura indigent. Eadem autem est natura dæmonis & Angeli. Ergo Angeli habent corpora naturaliter sibi vnita.

2. Præterea. Greg. in hom. Ephiphaniæ nominat Angelum rationale animal. Omne autem animal componitur ex corpore & anima. Ergo Angeli habent corpora naturaliter sibi vnita.

3. Præterea. Perfectior est vita Angelis, quam animabus. Sed anima non solum viuunt, sed etiam viuificat corpus. Ergo Angeli viuificant corpora naturaliter sibi vnita.

Sed contra est, quod dicit Dionys. 4. cap. de diuin. nomin. quod Angeli sicut incorporeales intelliguntur, ita & immateriales.

Respondeo dicendum, quod Angeli non habent corpora sibi naturaliter vnita. Quod enim accidit alicui naturæ, non inuenitur vniuersaliter in natura illa: sicut habere alas, quia non est de ratione animalis, non conuenit omni animali. Cum autem intelligere non sit actus corporis, nec alicuius virtutis corporeæ, ut infra patebit: habere corpus vnitum non est de ratione substantiæ intellectualis in-
quan-

266.
2. d. 8. ar. 1. Et
2. cont. c. 42.
42. & 90. Et
post. 7. 6. a. 6.
Et mag. 16.
art. 1. Et spi-
ritus as 5. Et
op. 1. 2. 11. art.
3. c. 2. Et op.
15. cap. 18.
Lib. 1. cap. 6.
in fin. 4.

C. 4. parum
à principio

275. art. 2.

quantum huiusmodi, sed accidit alicui substantiæ intellectuali propter aliquid aliud, sicut humanæ animæ competit vñiri corpori: quia est imperfecta & in potentia existens in genere intellectualium substantiarum, non habens in sui natura plenitudinem scientiæ, sed acquirens eam per sensus corporcos à sensibilibus rebus, ut infra dicetur. In quocunque autem genere inuenitur aliquid imperfectum, oportet præexistere aliquid perfectum in genere illo. Sunt igitur aliquæ substantiæ perfectæ intellectuales in natura intellectuali non indigentes acquirere scientiam à sensibilibus rebus. Non igitur omnes substantiæ intellectuales sunt vnitæ corporibus, sed aliquæ sunt à corporibus separatae. Et has dicimus Angelos.

2. 84. a. 6.
2. 89. ar. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut supra dictum est, quorundam opinio fuit, quod omne ens esset corpus. Et ex hac existimatione derivatū videtur, quod aliqui existimauerunt, nullas substantias incorporeas esse, nisi corporibus vnitas: adeo quod quidam etiā posuerunt Deum esse animam mundi: ut August. narrat in 7. de ciuitate Dei. Sed quia hoc fidei Catholicae repugnat, quæ ponit Deum super omnia exaltatum, secundum illud Psalm. 8. Eleuata est magnificentia tua super cælos. Orig. hoc de Deo dicere reculans, de alijs secutus est aliorum opinionem, sicut & in multis alijs deceptus fuit, sequens antiquorum Philosophorum opiniones. Verbum autem Berni potest exponi quod spiritus creati indigeant corporali instrumento, non naturaliter vnito, sed aliquod assumpto, ut infra dicetur. August. autem loquitur non asserendo, sed opinione Platoniorum vtens, qui ponebant esse quædam animalia aërea, quæ dæmones nominabant.

2. 84. a. 6.
2. 89. ar. 1.

Ad secundum dicendum, quod Greg. nominat Angelum rationale animal metaphorice propter similitudinem rationis.

Ad tertium dicendum, quod viuificare effectiue simpliciter perfectionis est. Vnde & Deo conuenit, secundum illud 1. Reg. 2. Dominus mortificat & viuificat, sed viuificare formaliter est substantiæ quæ est pars alicuius naturæ, & non habentis in se integram naturā speciei. Vnde substantiā intellectualis, quæ non est vnita corpori, est perfectior quam ea quæ est corpori vnita.

Notatio circa textum articuli.

CONCLVSIO est negans, quæ multis visa est eadem cum conclusione, & doctrina art. 1.

quæst. 50. in qua docuit S. Thomas Angelos esse incorporeos, cum tamen longe diceretur. Nam in eo art. 1. præced. quæst. docuit S. Tho. Angelos esse incorporeos, hoc est, essentialiter non esse corpus, siue compositum, siue simplex, vt existimauit Durand. esse cælos absque vlla compositione materiæ, & formæ, in quo sensu anima rationalis non est corporea, quia substantia sua non est corpus, sed spiritus. In hoc vero art. queritur, an Angeli vniti sint corporibus, vel habeant vnita corpora sibi, sicut habent animæ rationales, quæ incorporeæ cum sint, corporibus nihilominus vniuntur. Et respondet Angelum non esse naturaliter vnitum alicui corpori: ac si diceret, non esse formam alicuius corporis, aut materiæ, aliter quidem, quæ animam rationalem, quæ cum sit spiritualis secundum se, corpori tamen naturaliter vnitur. Argumenta vero, quæ posuit S. Doctor, eo etiam spectabant, non vt probarent, Angelos esse secundum substantiam suam incorporeos, sed naturaliter esse corpori vnitos. Conclusionem autem articuli hæc probat testimonium Dionys. cap. 4. de diu. nom. in principio, quod asserit S. Thomas in argumento. Sed contra: & ratio quam asserit in corpore articuli. Verum de hac re nullus S. holæticorum, quod ego legerim, disputat. Solom enim aliqui tractant, an secundum suam substantiam Angeli corporei sint, & cum S. Tho. pronuntiant, incorporeos esse natura sua, de qua re di. p. 179. abunde dictum est.

DISPV. CLXXXIII.

An materia, seu corpori, Angelinaturaliter vniuntur.

Error Philosophorum, & Origenis. cap. 1.
Vera sententia. cap. 2.

CAPVT I.

Error Philosophorum, & Origenis.

Antiquorum Philosophorum sententia fuit, Angelos formas esse naturaliter vnitas corporibus. In qua opinione fuisse videntur quatuor asseruit, astra, seu corpora cælestia esse animata. Sic de cælorum animatione sentit Plato in Epist. 1. nomide, vbi iubet, astra vt Deos venerari id quod non diceret, nisi animata esse putaret. Clarissime vero Aristot. lib. 2. de celo text. 13. cum docet celum esse animatum, & ob id sex habere differe. ntias positionis: quod enim quidam de anima assentire, & gubernante ipsum interpretantur frivolum videtur: cum vix hoc genere animationis hæc differe. ntia possint explicari, ideo de anima informante, non de gubernante, & assillente tantum ipsum interpretatur S. Thom. in opusculo 15. cap. 2. & 2. contra gentes. cap. 70. & in disputa. q. de anima. art. 2. ad 3. Accedit quod 12. Metaph. text. 35. & 36. cum doceat, primum mouens mouere celum per modum appetibilis, asserere plane videtur, celum animatum esse: alioqui ab appetibili non moueretur. Consentit Philo. in libro de opibus mundi, & in libro de somnijs, & in libro de gigantibus, & Origenes in commentariis in Ioan. in illa verba, in primis rationibus, & 1. lib. Periarthon. cap. 7. qui eadem ratione astra virtutis, & vitij capacia esse asserunt. Id quod deducit ex illo Iob. 25. vbi dicitur, stellæ immundæ: addit vero, Christum pro peccatis.